

111

109

115

105

120

100

160

060

210

010

Ende

Anfang

100

autem fame coactus cucurrit in domum et accepto a filia Icarī
pane ad cadaver rediit, quem mox filia secuta fuit. Quae videns
rem gestam prae moerore ad arborem ibi stantem se suspendit.

Hanc ergo legem de non bibendo vinum strictissime servant
Sarraceni, sicut Rechabite ad praeceptum Jonadab patris sui
abstinebant a vino, ut habetur Jerem. 35., minusque Dei praec-
cepta curabant, quam sui patris traditionem; sic et illi faciunt.
Nonnullis tamen videtur, quod vini usus continuus numquam fuerit
in Oriente et quod alias apud eos servaretur ex consuetudine, non
enim possunt Orientales vino uti sicut nos, quia patria et regio
est calidissima et vina ibi crescentia sunt fortissima, nec est pro-
portio naturae hominis et vini, ut sit suus continuus potus, sed
solum pro aliquo tempore et pro quadam solennitate. Et tantum
de Sarracenis dictum sufficiat.

Tanti autem in Cairo sunt, quod eorum non est numerus.
Praeter hos autem et Mamalucos sunt ibi ultra XXII millia Chri-
stianorum Orientalium Graecorum et XV millia Judaeorum et XX
millia Maurorum et aliorum. Sarracenorum autem, Arabum et
Tartarorum et Aethiopum et Aegyptiorum, Samaritarum et Tur-
corum et aliarum peregrinarum gentium non est numerus. Plures
ibi degunt homines utriusque sexus, qui non habent nec habue-
runt umquam domum, nec casulam, nec lectum vel (**D**) etiam
locum aliquem proprium ad manendum, quam Venetiis sunt ho-
mines in toto simul. Sunt enim intra urbem magnae pla'iae, in
quibus pauperes noctibus sub divo dormiunt, diebus vero sedent
et aliquid laborant. Ibi pauperum puerperae in publica pariunt
platea, nisi forte aliquae foeminae accidentes velaminibus contegant.

Sunt praeterea in illa urbe necessario multi coqui communes,
quia in domibus homines non coquunt singulariter nec ignes ac-
cendunt, sed de pategis coquorum cibos recipiunt. Dicitur autem,
quod numerus coquorum communium, habentium coquinas proprias
et de arte coquendi se nūrientium, ascendat supra XII millia.
Sunt autem tres causae, quare in domibus non coquunt. Prima
est munditia, nam coqui publici, si lucrari volunt pecunias, oportet
quod sint mundi, quia ab immundo nemo emeret et haec mun-
ditia servari in domo non posset. Secunda causa propter foemi-
narum abominationem, nullo enim modo possunt munducare a
foemina coctos cibos vel contrectatos; ideo nulla mulier ignibus,

